

non vero de absolutione sacramentali; ergo illorum testimonia ad rem præsentem nihil attinent.

R. N. Ant. Tametsi Patres quidam loquantur tantum de absolutione ab excommunicatione, ac præsertim S. CYPRIANUS epist. 13. (al. 12. ad clerum, de lapsis) ubi ait, in simili eventu diaconum posse reconciliare ægrotum pœnitentem, *facta exomologesi*; quos tamen laudavimus, Patres et Pontifices non speciatim de excommunicatis, neque de publice pœnitentibus agunt, sed absolute et simpliciter de fidelibus et peccatoribus, declarantque illius pœnitentiæ et absolutionis tantam esse necessitatem, ut ex ejus defectu damnari homines possint: quod de absolutione a censuris verum non est. Deinde Patres iidem utuntur voce pœnitentiæ, eamque appellant *actionem sacerdotis, satisfactionem, actionem pœnitentis*, quibus non solet significari absolutio a censura, vel alia ceremonialis, sed verum sacramentum. Imo LEO M. expresse dicit, pœnitentiam dandam esse a sacerdote vi potestatis acceptæ per illa verba: *Quorum remisistis peccata*, etc. Merito ergo hanc Soti et Cani exceptionem rejicimus, cum S. Thomas ipse q. 84. a. 3. ad 2. verba LEONIS M. de reconciliatione sacramentali interpretetur.

Inst. 1. Rituale PAULI V. non habet majorem approbationem, quam libri cæteri cum licentia Romani Pontificis editi; ergo.

R. N. Ant. cujus falsitatem arguunt protestationes ipsius Pontificis in conclusione recitatæ, quibus addit, se Rituale hoc edere, sicut PIUS V. et CLEMENS VIII. Breviarium, Missale et Pontificale ediderant: atque hoc negotium proprio et maturo consilio, ac studio præstantissimorum Cardinalium et aliorum Doctorum fuisse transactum.

Inst. 2. Propositionem istam: *Licet per litteras sive internuntium confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtinere*, damnavit CLEMENS VIII. ut falsam, scandalosam et temerariam quoad utramque partem conjunctim et divisim, et contrariam interpretationem rejecit, prout idem Pontifex in congregatione Inquisitionis Romanæ declaravit 6. Jun. 1684. referente Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano epistola data ad Ægidium Coninc S. J. Theologum, cujus exemplar ipse Ægidius recitat in libello apologetico, qui inscribitur: *Responsio ad dissertationem impugnantem absolutionem moribundi sensibus destituti*. Imo PAULUS V. die 14. Julii 1605. idem quod CLEMENS VIII. declaravit, et contrariam Suaresii opinionem jussit expungi ex tomo ipsius IV. in 3. p. S. Thomæ sect. 4. disp. 21., ergo.

R. N. Cons. Idem CLEMENS VIII. postea rogatus respondit, se hunc casum moribundi nec intendisse, neque decreto suo comprehendere; seque ipsum, si adesset tali moribundo, absolutionem impertiturum: quod an. 1608. 16. Aprilis Patri Florentino S. J. Belgicæ Provinciali Præposito, et Leonardo Lessio, Romæ tum agentibus, testati sunt Cardinalis Bellarminus et Petrus Lombardus Armachanus Hiberniæ Primas, qui etiam hujusce rei testimonium propria manu subscriptum imprimis dicto P. Florentino, tum Doctoribus quibusdam Lovaniensibus tradidit. Porro CLEMENS VIII. S. LEONI aliisque Patribus, et PAULUS V. suomet Rituali contradicere nec voluerunt, nec potuerunt. Et Petrus Armachanus ait, non impune ab se laturum parochum, qui ægroto tali absolutionem negasset.

Inst. 3. EUSEBIUS Papa scribit (Labb. t. 1. p. 1392.), eo casu sacerdotem debere orare super ægrotum, nulla facta absolutionis mentione.

R. Dictum jam sæpe fuit, precum nomine a Patribus intelligi formas sacramentorum. Quanquam epistolæ illæ non sint EUSEBII Papæ, sed impostoris cujusdam, ut vel inde patet, quod in iis fuse tractetur de inventione S. Crucis et festo ejus ab EUSEBIO instituto: atqui EUSEBIUS jam obiit an. 311. Crux autem demum sub SILVESTRO Papa an. 326. inventa fuit.

ARTICULUS III.

QUANDONAM SUFFICIAT CONFESSIO INTEGRA FORMALITER TANTUM?

193. Nota. Materialiter integra confessio dicitur, in qua omnia peccata mortalia distincte secundum suas species et numeros exprimuntur: quod si quis ex causa legitima generatim tantum sese peccatorum suorum accuset, vel unum et alterum reticeat, aut circumstantiam cæteroque necessariam supprimat, erit confessio formaliter tantum integra. Utrum ista aliquando ad hoc sacramentum sufficiat, nunc inquirimus: nam materialiter integram per se requiri, constat ex hactenus dictis, et ex dicendis infra constabit.

194. Dico. Ad beneficium absolutionis obtinendum sufficit confessio formaliter tantum integra, quando obstat impotentia physica vel moralis, quo minus pœnitens confessionem materialiter integram præstet. Ita communiter Theologi.

Pars 1^a. quoad naturalem impotentiam jam satis probata est articulo proxime præcedente, ubi ex Patribus et Conciliis docuimus, ad absolutionem moribundo impertiendam sufficere, si is aliqua tantum peccata proferre possit, aut petierit confessarium, aut signa alia doloris ediderit. Talis enim facit, quod ab ipso in ejusmodi circumstantiis præstari ac prudenter exigi potest: et quamvis non edat confessionem distinctam et perfectam de peccatis singillatim, peragit tamen inchoatam et largius sumptam de peccatis generatim et confuse indicatis, quatenus se peccatorem declarat, et absolutionem postulat.

Obstaculis impotentiae naturalis accensetur etiam oblivio aut ignorantia inculcata alicujus peccati lethalis, teste ipso Concilio TRIDENTINO Sess. 14. cap. 5., neque ad oblivionem istam aut ignorantiam cavendam tenetur quisquam peccata sua scripto consignare; nisi forte quis ita stolidus sit, ut nullum omnino peccatum memoria tenere possit. Mutos tamen qui non omnia peccata nutibus possunt exprimere, et scribere norunt, aut confessuros sacerdoti surdo ad id præstandum obligari docet Suarez cum pluribus aliis; eo quod diligentia ista respectu talium hominum non censeatur extraordinaria.

Pars 2^a. itidem ratione communi asseritur, quod præcepta ista affirmativa non obligent cum gravi proprio aut alieno incommodo vitæ, famæ, aut fortunarum: quæ quidem distinctius enarrantur in Theologia morali.

Istud solum hic addo, nemini unquam licere detegere in confessione occultum peccatum alienæ personæ, quæ non fuit complex in eodem pec-

cato confitentis: imo ne licere quidem complicitis crimen proferre, si aliter possit suummet satis explicare, non aperiendo nomen complicitis. Quod si suum peccatum satis explicare non possit, quin una confessario notus fiat complex, tenetur etiam cum hac privata complicitis nota ad integram materialiter confessionem, quam nec differre, nec alii sacerdoti, qui complicitem non agnoscat, præstare potest, prout traditur communiter a Theologis contra Valentiam et Dianam.

195. *Obj. I.* Qui petit confessarium, desiderat quidem confiteri, re ipsa tamen non confitetur: atqui ad absolutionem requiritur prævia confessio; ergo qui petit confessarium, non potest ab hoc superveniente absolvi.

R. N. M. Ægrotus talis confitetur quasi per interpretem saltem inchoate et confuse, quantum in hisce circumstantiis valet, quod sufficere supra abunde ostendimus. Ex canone autem, *Quem pœnitet*, dist. 1. de Pœnit. colligitur tantum, ejusmodi confitendi ritum citra casum necessitatis non licere.

Inst. A. Non potest ferri sententia, nisi iudex distincte cognoverit crimen sontis: atqui si pœnitens tantum poscat confessarium, aut signa edat doloris, non cognoscitur distincte ullum ejus delictum; ergo.

R. D. M. Non potest ferri sententia in causis criminalibus aut civilibus, ubi agitur de damno tertii aut Reipublicæ; nisi iudex distincte cognoverit crimen sontis C. non potest ferri sententia incognita distincte causa in iudicio sacro hujus sacramenti, quod solum rei gratia est institutum, et cujus tota reconciliatio et absolutio pendet a vero dolore et ingenua quadam delicti confessione, quoad ejus fieri potest N.

Inst. 2. Sacerdos tali moribundo superveniens non habet sufficientem notitiam, utrum priorem dolorem non retractaverit, aut an non peccatum novum commiserit; ergo.

R. D. Ant. Non habet notitiam sufficientem pro casu necessitatis N. extra hunc casum T. Argumentis hisce tantum probatur, non licere ita dispositos extra casum necessitatis absolvi.

Inst. 3. Jam ante sciebat sacerdos, talem hominem peccatorem esse: atqui hæc confusa et imperfecta notitia ipsi amplius nihil declarat; ergo si ex notitia priore non poterat ipsum absolvere, neque id potest ex signis hisce imperfectis.

R. N. *Assumpt.* Ex hisce signis capit sacerdos notitiam judiciariam et sacramentalem materiæ proximæ sacramenti, nempe accusationis dolorosæ factæ a pœnitente, eo modo quo hic et nunc fieri potest.

Inst. 4. Peccata ejus, qui generatim tantum se accusat, ne indirecte quidem remittuntur: nam directe dicuntur remitti, quæ clavibus distincte subjiciuntur, indirecte vero reliqua, propter consortium illorum, quæ directe per verba absolutionis et gratiam inde profectam remittuntur; ergo cum nihil proferatur, ad quod absolutio terminetur directe, nullum peccatum indirecte remitti poterit.

R. cum Suaresio N. *Ant. ad cujus probationem dico*, absolutionem in hujusmodi confessione generica directe terminari ad peccatum secundum rationem communem, in qua peccata omnia conveniunt, indirecte autem

ad peccata secundum rationem particularem. Hinc eadem peccata particulatim debet postea, cum potest, sacerdoti iterum confiteri.

Inst. 5. Obtento fine desinit obligatio præcepti; ergo si in confessione tantum formaliter integra peccatum remittatur omissum, non debet postea directe iterum subjici clavibus.

R. D. Ant. Obtento fine desinit obligatio præcepti, si finis ipse non pendeat ab efficaci voluntate præceptum exacte implendi C. secus N. Ita etiam contritione perfecta, aut sacramento extremæ Unctionis remittuntur peccata, quæ tamen postea sacerdoti aperienda sunt. Vide propositionem 11^{am}. ex damnatis ab Alexandro VII.

196. *Obj. II.* Ingens difficultas ex verecundia aut metu infamiæ propriæ orta non excusat a confessione integre faciendâ; ergo neque difficultates aliæ.

R. N. *Cons.* Damnum aut difficultas infamiæ propriæ apud solum confessarium ex confessione orituræ sequuntur per se ex integritate confessionis, uti etiam infamia complicitis necessario detegendi in confessione materialiter integre peragenda: e contra aliæ incommoditates graves, cujusmodi forent odium, quo confessarius pœnitentem aut complicitem prosequeretur, aut exhæredatio eorum habent se ex accidente ad confessionem.

197. *Obj. III.* Infamatio proximi jure naturæ prohibita est; ergo nunquam licet aperire in confessione complicitem.

R. D. *Cons.* Nunquam id licet, si aliter confessio materialiter integra præstari possit C. secus N. Infamatio injusta proximi est quidem prohibita, non vero justa: nam et in foro externo licet quandoque detegere complicitem, si rei crimen aliter perfecte cognosci nequeat; quanto id magis licebit in confessione, cui ex natura hoc incommodum adhæret, ut materialiter integra fiat, et in qua complicitis infamia fere nihili est intuitu iudicii forensis. Neque in hoc negotio confessionis omnino integræ ita necessario pejor debet esse conditio pœnitentis, quam complicitis, qui patrandi simul crimen videtur jure suo cessisse, ne aliquatenus infametur. Ita contra Navarrum et alios quosdam Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 73. a. 2. Ac refert etiam venerabilis Beda L. de remediis peccatorum cap. 1. (opp. t. 5. p. 570. A. Patrol. t. 94.) ex antiquis canonibus, quod, *si quis uxoratus ancillam suam violaverit, annum unum pœniteat*, etc.; igitur circumstantia ancillæ complicitis erat declaranda.

Præter item IV. an. 1561., et alii deinceps Pontifices constitutionibus vulgatis præceperunt pœnitentibus deferre sacerdotes, a quibus in sacro tribunali ad flagitium sollicitabantur; ergo quandoque licet pœnitenti propter suam propriam utilitatem, socium criminis vel simpliciter reum declarare.

Praxis etiam veteris Ecclesiæ nos docet, licere pœnitenti, propter complicitis aut aliorum utilitatem, crimen ipsius sacerdoti manifestare, ut corrigatur et emendetur: imperabatur enim olim talis delatio, statutis etiam pœnis adversus eos, qui fratrum peccata, quæ noverant, non accusabant. Ita jussit S. Heracles, Alexandriae Episcopus, ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes non prius admitterentur, quam quæcumque ab adversariis audierant, *palam exposuissent*. Ita refert S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium L. 7. Histor. c. 7. Plura in hanc rem exempla dabit Morinus L. 2. de Pœnit. c. 7.

Nihilominus non nisi perraro et admodum circumspecte indulgendum pœnitenti, ut propter suam aut aliorum utilitatem complicitis personam aperiat: ne aut fidelibus, violatum a sacerdote confessionis sigillum suspicaturis, pœnitentiæ tribunal invisum reddatur; aut perditis hominibus præbeatur occasio, viros probos obtentu religionis et pietatis aliquando traduendi.

ARTICULUS IV.

QUAS PECCATORUM CIRCUMSTANTIAS EXPONERE IN CONFESSIOE TENEAMUR?

189. *Nota I.* Circumstantiæ quædam aliam speciem peccati actibus etiam internis in genere moris conciliant: ut sunt adjuncta personæ, loci, instrumenti, finis, modi, temporis. Dixi, *in genere moris*: nihil enim attinet ad præsentem quæstionem, quod specie physica varietur actus, utrum quis gladio, an veneno interficiatur.

Aliæ dantur circumstantiæ, quæ quidem peccati speciem non mutant, reddunt tamen illud haud paulo gravius in sua specie: nam furtum gravius censetur committere, qui vim ingentem pecuniæ furatur proximo, quam is, qui tres aut quatuor aureos eidem subtrahit: hæere diutius in pravis desideriis ideam, sed gravius peccatum est, quam eisdem ad momentum consentire.

Nota II. Solus Cajetanus, tom 1. Opusc. tract. de Confess., tunc solum, ait, species peccatorum exprimi oportere, cum illæ sunt satis claræ, et notæ omnibus, tantæque, ut morale confessarii iudicium variant. Quæ quidem opinio non displicet Cano relect. de Pœnitent. part. 5., et Navarro in c. *Consideret*, in princ. n. 18. et 19. de Pœnit. dist. 5.

Major est contentio ratione circumstantiarum, quæ peccati magnitudinem in specie sua insigniter augent. Has per se quidem confitentibus necessario declarandas esse arbitrabantur olim Allisiodorensis, Alexander, Marsilius, Cajetanus, Canus, Victoria, Sotus uterque, ac plures alii, quos refert et sequitur Fr. Suarezius disp. 22. sect. 3.

Non pauci tamen pœnitentes hoc onere immunes pronuntiant, ut S. Thomas in 4. d. 16. a. 2. q. 5., Albertus, Paludanus, Durandus, Bonaventura, Almainus, Carthusianus, Adrianus, quos ilidem et plures alios ordine citat Suarezius; et ex recentioribus Toletus, Vasquez, Lugo, et quam plurimi, quos vide apud Dianam p. 1. tract. 7. resol. 1.

199. *Dico I.* Circumstantiæ, quæ speciem et numerum peccatorum immutant, in confessione aperiendæ sunt. Hæc thesis certa est.

Prob. Concilium TRIDENT. Sess. 14. cap. 5. ait, sacerdotes iudicium hoc exercere non potuisse, si pœnitentes *in genere duntaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Et infra: *Etiã eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Cujus mox rationem reddit: *quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant; et feri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.* Et can. 7. aliter docentes feriuntur anathemate.

Idem colligitur ex Trullano can. 102. (Labb. t. 6. p. 1185. B.) quo ita statuitur: *Oportet, qui facultatem absolvendi et ligandi a Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur.* Et can. 25. Concilii Wormatiensis anno 868. (Labb. t. 8. p. 950. D.): *Pœnitentibus, inquit, secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur.* In decreto etiam Eugenii Armenis a Concilio FLORENTINO tradito dicitur, ad confessionem pertinere, *ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur.* Denique Concilium LATERAN. can. 21. *Omnis utriusque, non solum monet fidelem quemlibet, ut omnia sua peccata confiteatur; sed etiam, ut sit sacerdos discretus, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.*

Unde ita ratiocinor: Concilia docent, peccata omnia pro confessione esse dicenda: sed quando vel numerus peccati ejusdem reticeretur, aut circumstantia speciem varians, non omnia peccata dicerentur; ergo et numerus peccati ejusdem frequentati, et speciem variantes circumstantiæ debent exponi. *Min.* patet ex doctrina de actibus humanis: nam quando circumstantia speciem mutat, hoc ipso sunt æquivalenter duæ peccatorum species, etsi eodem in actu conveniant.

200. *Dico II.* Per se loquendo non est obligatio exponendi circumstantias peccatum in eadem specie insigniter aggravantes.

Prob. I. Cum Synodus TRIDENTINA Sess. 14. cap. 5. docuisset, circumstantias speciem mutantes confitendas esse, atque pronuntiasset, impium esse dicere, hanc obligationem observatu impossibilem esse, subjungit rationem: *Constat enim, nihil aliud exigi, quam ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminerit.* Atqui hoc facit, qui confitetur numerum et species; ergo constat, præter hæc nihil exigi.

Conf. S. THOMAS nuper cit. respons. ad 5. hoc de utraque sententia iudicium profert: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis sit, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est.*

Prob. II. Non potest inveniri regula certa, et in praxi observanda, qua cognoscantur circumstantiæ insigniter in eadem specie peccatum aggravantes; ergo pœnitentes non sunt sine necessitate in has angustias redigendi. *Ant. probatur* ex ipso dissidio adversariorum, et commentis diversis, quæ non coherent. Nam quod Suarezius hunc canonem statuat, *Quando gravitas excedit notabiliter ordinarium modum operandi tali modo circa talia objecta, rem magis involvit: quis enim modus ordinarius in furtis, detractionibus, perjuriis, imprecationibus, cogitationibus lascivis aut desideriis? Quasi vero ordinem aut modum teneant, qui modum rationis excedunt.*

Prob. III. Si explicandæ sunt circumstantiæ aggravantes, explicandæ quoque erunt circumstantiæ minuentes, v. g. cum peccatur ex vehementi ira, metu, tentatione, aut dolo alterius: atqui hoc est contra praxin etiam adversariorum; ergo. *Maj. prob.* Sicut non licet in confessione minuere materiam necessariam ad confessionis integritatem (qualis est, secundum adversarios circumstantia aggravans), ita non licet materiam non idoneam absolutionis apponere: quod utique faceret, qui circumstantiam allevian-

tem non exprimeret : hanc enim reticendo, apponeret gravitatem, quam peccatum haberet sine tali circumstantia : sicut adversarii putant, suppressa circumstantia aggravante, non omne exponi quod est necessaria confessionis materia.

201. *Obj. I.* Laudati canones Concilii Trullani et Wormatiensis requirunt exactam narrationem peccatorum non tantum quoad species diversas, sed etiam quoad circumstantias aggravantes; ergo si ex illis canonibus probetur, diversas peccatorum species in confessione esse recensendas, probabitur etiam, circumstantias aggravantes speciem explicari oportere.

R. *N. Cons.* Non omnia quæ hisce et aliis antiquis canonibus suadentur, simpliciter necessaria sunt ad veritatem sacramenti : quædam enim circumstantiæ notantur, quæ ne quidem rationem habent peccati saltem mortalis, ut complexus conjugis gravidæ aut tempore festivo, etc. quibus etiam pœnitentia præscripta dictabatur; non quod ista aperiri in confessione sacramenti necessitas exigeret, sed quod rigor discipline ecclesiasticæ, et fidelium fervor ad tantam accurationem procedebant. Recte ergo Vasquez et alii scribunt, nimium ab adversariis deduci ex illis canonibus, dum necessariam circumstantiarum tantum aggravantium explicationem volunt exprimere, quam Concilia ut perutilem monent esse adhibendam.

Inst. Ideo TRIDENTINUM Concilium jubet exprimi numerum et circumstantias variantes species peccatorum, quia alioqui sacerdotes hoc iudicium incognita causa nec exercere possunt, neque æquitatem in pœnis imponendis servare : atqui ratio eadem afficit circumstantias aggravantes, quæ impositionem pœnæ diversam exigunt, et confessarii iudicium de statu pœnitentis insigniter variant; ergo.

R. *D. M.* Ideo TRIDENTINUM et numeros et species peccatorum jubet exprimi, quia alioqui sacerdotes nec iudicium hoc quoad essentialia exercere, nec æqualitatem essentialem in pœnis decernendis servare possunt *C.* quia opus sit formari iudicium perfectissimum et metaphysice exactum de gravitate peccatorum, et quia sint injungendæ pœnæ mathematicæ æquales; ideo TRIDENTINUM et numeros et species peccatorum jubet exprimi *N.* Unde etiam apparet falsitas minoris : neque enim ad iudicium essentialiter rectum in hoc sacramento opus est cognosci circumstantias speciem non mutant, sed tantum aggravantes, eo quod hæc iudicium duntaxat quoad accidentalia variant, perinde ac circumstantiæ tantum notabiliter actum minuunt. Quod si eadem esset ratio habenda circumstantiarum aggravantium, quæ speciem mutantium, Concilium valde oscitanter egisset, dum illis prætermissis, has duntaxat expressit.

Denique Concilium ibidem nostram opinionem magis firmat docens, sacramentum istud ita fuisse institutum, ut non sit carnificina conscientiæ, ac nihilominus exigens accuratum examen in omnem speciem ac numerum peccatorum : hoc enim nec moraliter est impossibile, nec admodum difficile homini salutis suæ studioso; at indagare omnes circumstantias aggravantes tam ex parte actus, quam objecti, easque memoria tenere, opus intolerabilis molestiæ et infiniti laboris esset non tantum ignavis litterarum hominibus, sed litteratis etiam.

202. *Obj. II.* Si circumstantiæ aggravantes non sint exponendæ in confessione; ergo furatus mille aureos satisfaceret, confitendo : *furatus sum aureum*; hæc enim est summa gravis, et juxta hanc opinionem sufficit dici, *furtum grave commisi*. Item qui impetu uno decem homines interfecisset, sufficienter confiteretur, dicendo : *occidi*. Atqui hæc sunt absurda; ergo.

R. *N. seqq.* Confitens furtum aurei, utitur modo loquendi limitativo et restrictivo, unde vulgo æstimatur hanc unitatem aurei furando non excessisse; non ergo talis confitetur peccatum suum : at dicens se summam gravem furatum esse, utitur conceptu præcisivo, quo summa nulla excluditur, datque confessario occasionem inquirendi in summam ipsam, quo et dispositionem pœnitentis agnoscat, et de restitutione præstanda cum illo conveniat. Quemadmodum autem confessarius jus habet et officium ita interrogandi, ita pœnitens roganti respondere tenetur.

Eodem modo R. ad casum alterum, non satisfieri dicendo : *occidi*; nam ex illa communi formula loquendi deceptus confessarius, unius tantum hominis eadem factam fuisse judicaret; qui alias dicentem, se plures uno impetu interfecisse, incunctanter in cæsorum numerum inquireret : nec enim numerus hominum occisorum ita in homicidium unum coalescit, ut summa aureorum plurium uni subductorum furtum unum conficit.

Inst. 1. Ex modo dictis, sacerdos, audito, *abstuli summam gravem*, jure debet inquirere in quantitatem furti, et pœnitens tenetur respondere; ergo est obligatio confitendi circumstantias peccatum in specie aggravantes.

R. *D. Cons.* Est talis obligatio per se loquendo *N.* aliquando per accidens *C.* Interrogatione illa ac responsione non opus est per se, quasi explicatio illa sit materia simpliciter necessaria ad sacramenti valorem; ne videatur pœnitens velle impedire novo peccato instructionem sibi ad salutem necessariam, aut non habere sufficiens propositum. Quod si pœnitens satis alias doctus noverit, se confessarii instructione hac in parte non indigere, sitque paratus ad præstandum omnia, quæ injungi sibi a sacerdote possent, nec ipse respondere teneretur, nec confessarius eadem de ipso prudenter præsumens, illum interrogare.

Inst. 2. Unum furtum aureorum decem continet totam malitiam et gravitatem decem furtorum singulorum unius aurei; ergo si in hoc casu est explicandus numerus, in illo erit explicanda gravitas.

R. *N. Cons.* Non est explicandus numerus propter gravitatem præcise, sed quia alioqui si tantum confuse dicerem; *blasphemavi aliquoties*, sciens me decies blasphemasse, non exprimerem numerum certo mihi cognitum.

203. *Obj. III.* Si non tenemur exprimere circumstantias mere aggravantes peccatum; ergo non opus est declarari actum peccati externum, sed sufficit dici, *consensi in homicidium* : in diffamatione non est addendum, utrum obtrectatio vera fuerit an falsa : in incesto gradus consanguinitatis non est explicandus : in adulterio potest reticeri sollicitatio complicitatis : sufficit, si quis accusaverit se violati jejunii, quin addat, se carnes comedisse. Atqui sequentiæ istæ ab omnibus tanquam falsæ præscribuntur; ergo.

R. *N. seqq.* In confessione oportet exprimi totum, quod substantialiter habet rationem peccati; actio autem externa licet non habeat malitiam numero aut specie diversam a consensu voluntatis pravo, non tamen huic solum

accidit ut circumstantia, sed est verum ac proprie dictum peccatum; unde illa suppressa non dicitur peccatum totum, secundum suam substantiam: cum vero circumstantia semper includatur in eo, quod substantialiter est essentia peccati, illa non declarata nihilominus dicitur totum quod rationem peccati habet. Deinde qui solum consensum internum in peccatum fatetur, praesumitur acceptione vulgari, negare opus externum, quod revera commisit; quod mendacium in tanto negotio culpa lethali non vacat.

Diffamatio evulgatione veri criminis specie differt ab ea, quae falsum crimen affingit. Incestus secundum gradus diversos consanguinitatis probabiliter aliae peccatorum sunt species: secus, nemo teneretur diversitatem graduum explicare, per se loquendo, sed tantum ex accidente ob annexam censuram aut reservationem. Sollicitatio item ad adulterium exprimens est tanquam specie distinctum crimen a voluntate simplici mœchandi sine opere externo.

Denique violatio jejunii comestione carniū duo specie peccata praecipis duobus diversa imperantibus repugnantia involvit. Ex dictis

204. *Colliges.* Non satis cohærere doctrinam quorundam, qui cum Esparza volunt exponendas esse pro confessione circumstantias, quae se tenent ex parte objecti, non autem eas, quae tenent se ex parte actus; quod ipse Suarez et reliqui adversarii nostri adverterunt. Nam si unum furtum mille aureorum distincte declarandum, quia æquivalet mille furtis singulorum aureorum; par omnino ratio erit de circumstantiis, quae se ex parte actus habent: in diuturna enim actus continuatione cujuslibet momenti duratio æquivalet peccato integro, et ad mortale peccatum sufficeret sola. Quod idem de actus vehementia, seu, ut scholæ loquuntur, majore intensione, dici oportet: si enim gradus intensionis homogenei sint, actus intensus ut quatuor, quatuor distinctis actibus æquivalet; si fuerint heterogenei, major adhuc erit plurium actuum in actu uno æquivalentia, eo quod gradus alter altero tunc sit perfectior.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA DUBIA AD CONFESIONEM PERTINEANT?

205. *Nota.* Dubium quandoque sumitur pro judicio incerto, quo sensu opiniones probabiles dicuntur dubiae: aliquando vero dicitur suspensio assensus et dissensus objecto incerto praestandi.

Secundum priorem dubii acceptionem valde impropiam saepe contingit, ut de una contradictionis parte probabiliter judicemus, de parte autem opposita judicium probabile non habeamus, sed vel suspicionem quamdam aut formidinem. Quo in casu certum plane est, posse nos, et aliquando etiam debere sequi tale judicium, ita ut, si probabiliter judicemus nos peccasse, aut peccatum nunquam fuisse confessos, ad confitendum illud teneamur: e contra si judicemus nos peccatum non admisisse, aut jam confessos esse, ab obligatione confitendi reddamur immunes. Hoc enim modo non dubitamus proprie, sed opinamur: quod quidem judicium probabile ad humanas actiones dirigendas sufficit: nam licet speculative sit incertum, ex eo

tamen deducitur judicium practice certum de honestate actionis vel omissionis, sufficiens ad actiones humanas, quia major certitudo regulariter hominis vires excedit.

Juxta posteriorem vero et propriam dubii acceptionem duplex modus dubitandi occurrit: ac primo quidem, quando pro utraque contradictionis parte habetur probabile judicium, quamvis animus in partem alteram cum majore vel minore probabilitate inclinetur: dubium tale vocatur a multis *probabile*, ab aliis *positivum*. At quando quis probabiles quidem rationes habet dubitandi, nec tamen determinari potest ad ferendum judicium probabile pro parte alterutra, appellatur dubium *negativum*. De hisce duobus modis dubitandi praesens disceptatio tantum versatur: nam quod alii dubium negativum nuncupent, cum quis suspensus hæret, an peccaverit, an non, sine ulla ratione pro parte utraque apparente, nimium quantum improprie loquuntur; ac videtur effectus iste animi non tam dubitatio dicenda esse, quam ignorantia: ut quando hæsitamus asserere, utrum numerus stellarum par sit, an impar. Quod si nulla apparet ratio, quae confessionem peccati necessariam probet, nihil est, quod dubitem, me ab obligatione confitendi esse immunem.

206. *Dico I.* Qui in dubio positivo probabiliter judicat, se non peccasse mortaliter, vel tale peccatum jam fuisse confessum, potest se judicio isti conformare, ut non teneatur tale peccatum confiteri, licet in contrarium habeat conjecturas adhuc probabiles. Ita Sylvester verbo *Confessio*, 2. q. 2., Suarez et alii complures, inter quos Haunoldus thesin istam adeo certam pronuntiat, ut etiam a statu quæstionis eam amandat.

Prob. In rebus practicis, in quibus non imminet periculum, licet sequi opinionem probabilem, non obstante opinione contraria probabili, vel etiam probabiliori: raro enim plenam certitudinem rerum agendarum assequi possumus; ergo judicium illud pro capacitate cujusque censetur sufficiens ad inferendam practicam certitudinem.

Conf. Si poenitens dicat, se habere tale judicium de peccato quopiam, et velle illud sequi, confessor debet ei conformari in hoc, sicut in aliis rebus probabilibus; ergo multo magis poterit poenitens peccatum illud omittere, perinde ac si initio tale judicium habuisset de actu ejusmodi dubio, an sit peccatum, aut utrum hoc peccatum teneatur confiteri.

207. *Dico II.* Peccata mortalia, de quibus negative dubitamus, necessario in confessione debent exponi. Ita S. Thomas dist. 2. q. 2. a. 3. ad 3. et d. 17. q. 3. a. 1., Paludanus, Richardus, Dom. Sotus, Medina, Navarrus, Sylvester, Victoria, et Summistæ veteres ac recentiores, contra Caramuelem, Ægidium Conine, Antonium de Spiritu S. in Directorio Confessor. tr. 3. d. 3. sect. 2. n. 273., quibus favent Layman, Granadus, Præpositus, Arriaga et Haunoldus, quamvis omnes hi subtimide pronuntiant.

Prob. I. In dubiis pars tutior est eligenda: qui autem exponit peccatum, de quo ita dubitat, nullum subit periculum, cui se exponeret, qui reticeret crimen, quod vere commiserat.

Prob. II. Ea peccata tenemur confiteri, de quibus extra sacramentum